

DEMETRIOS E. KOUTROUBAS, *Quarta Centuria. Carmina Latina Contemporanea*, Athenis MMXV, pp. 160.

Tertia carminum centuria perpaucis abhinc annis ad finem adducta atque edita, nonnulli poeseos Latinae cultores Demetrium, poetarum omnium longe clarissimum ac doctissimum, divinum illud munus, quo est a Musis immortalibus donatus et ditatus, mirum in modum explevisse putaverunt. Nam in tam magno carminum numero omnes homines quae exsperti sint, ulla sine difficultate ulloque sine stupore invenire potuerunt, quia magna cum calliditate, urbanitate et industria de illis egit argumentis, quae vitam vel laetam vel tristem, vel felicem vel infelicem innumeris faciunt de causis. Poeta enim, cum multas sit humanae vitae res expertus, illa praecipua praebet argumenta, quae omnibus hominibus sunt aut cogitanda vel considerata, vel quaerenda aut inquirenda.

Illis autem centuriis, ut haud immerito de se dixit Horatius, “monumentum aere perennius”¹ exegit Demetrius, quem haud pauci poeseos Latinae miratores mirificis afficiunt laudibus cuiusque vestigia innumeri Latinarum Camenarum cultores haud inviti sequi et premere non dubitant. Demetrius vero, cum sit natione atque origine Graecus, unus tamen est poeseos Latinae cultor, qui, temporibus nostris, quibus lingua Latina ex hominum societate fugata, immo eradicata penitus videtur, non modo Romanorum sermonem maxima cum calliditate adhibet, verum eadem etiam ad carmina contexenda, ad commercia cottidiana explenda, ad acroases habendas feliciter utitur.

Quibus carminibus lectis, quanta dulcedine sit animus captus quantoque quidem lepore, quanto insuper gaudio sit pectus motum quantisque mens fruatur bonis, nullus est doctus vir, qui, cum Demetri carmina legat, statim non sentiat vel percipiat.

Ideo qui laudibus atque admirationibus poesin Latinam exornant, magna cum animi satisfactione hanc *Quartam* profecto accipiunt *Centuriam*, quam mihi Auctor ipse, cum in Italiam antiqua Romae vestigia visum cun dulcissima venisset uxore, haud invitus donavit et me oravit, ut carminibus commodo lectis, quae de iisdem sentirem, nulla interposita mora, conscriberem. Tempore opportuno, me brevem aestimationem facturum promisi et librum, domum reversus, ad priores centurias in bibliotheca seposui, donec promissis actus carminumque desiderio motus, brevi temporis spatio totum legi et sum diu meditatus quae mala praeclarus ille vir toleret, quanta in egestate doctissimus Musarum cultor vitam dagit, quibus gravitatibus optimus Amicus opprimatur, quibus angustiis absrictus animi sollicitudines carminibus allevet.

Liber autem, nitidis et elegantibus typis impressus, quam parvus est pondere, tam est doctrina atque eruditione repletus. Nam hic quoque liber, haud secus ac priores, qui ubi primum editi, statim sunt ab omnibus plurimi ducti, multa

¹ HOR., *Carm.*, III, 30, 1. Antiquus poeta Romanus, uti constat, praeter cetera opera tantum CIII carmina, in IV libros digesta, conscripsit.

continet rerum elementa et documeta, de quibus Auctor cum lectoribus colloqui conatur ipse. Postremo hoc quoque opere Auctor cum lectores tum praesertim poeseos Latinae cultores et eos omnes, qui in Romanorum sermonem studium incumbunt, nec fallit nec destituit.

Sed maiore quadam cum cura carminibus iterum ac saepius lectis, quaedam, et ea praecipua, notem oportet, quae in prioribus voluminibus, quamvis semel iterumque quaesivissem, nullo loco umquam inveni. Nam postrema hac in centuria Demetrius, qui honestus est vir rectusque Christi assecla, innumeris est malis contristatus, crudelibus Fati vuleratus ictibus, quos ne per imagines quidem celare conetur.

Cum autem Poeta infelicem et miseram hominum condicionem meditetur, omnium longe pessima ac teterrima vitia damnat criminatque. In quibus, ut ex carminibus quisque nostrum comperitur, avaritia, nummum divitiarumque desiderium, dominandi cupiditas, commodorum voluptatumque libido principem obtinent locum. Quae mala diebus nostris Graeci tolerant, quibus aerumnis quibusque difficultatibus contristentur, quibus in angustiis versentur, notitiis per diurnarios vulgatis, neminem fugit. Graecia, quae omnium artium fuit domicilium, magna afficitur paupertate, quae gravior in dies molestiorque fit. Multi Graeci, horribile dictu, nostra aetate, qua cibus omnibus abunde suppeditatur, fame pereunt. Demetrius ipse, rebus periclitantibus, magnam ob difficultatem ad vitam necessaria comparanda tristis agit dies.

Cum autem Demetrius sciat nemini tacitam egestatem esse probro, aequo animo omnes vitae difficultates hominumque iniquitates tolerat. Sed, cum videat quae aerumnae sint civibus patiendae, se abstinere non potest, quin rerum moderatorum avaritiam damnet, fraudem et improbitatem vituperet. Qui, cum publicam pecuniam pessimis artibus tractavissent, Graeciam totam paucorum annorum spatio fortunis omnibus everterunt, cives frustraverunt, eorum expectationes fefellerunt, spe frustraverunt.

Hic vero praeterire non possum, quin paucan Sallustii verba memorem: *“Postea vero quam in Asia Cyrus, in Graecia Lacedaemonii et Athenienses coepere urbis atque nationes subigere, lubidinem dominandi causam belli habere, maxumam gloriam in maximo imperio putare [...] verum ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate lubido atque superbia invasere, fortuna simul cum moribus inmutatur. ita imperium semper ad optimum quemque a minus bono transfertur”*.²

Quibus quidem de causis ciborum pretia non in menses vel in dies, sed in horas excandescunt; mensae argentariae, nummis minuentibus aut deficientibus, civium necessitates amplius non explent; nummum discrimine

² Sall., *Cat.*, 2

progrediente atque ingravescente, homines ab operibus vacui augentur; magnus incolarum numerus, difficultatibus coacti, in urbium civitatumque vias vocitantes effunduntur; tabernae mercatoriae, emptoribus carentibus, fores claudunt et operarii, labore amisso, otiosorum multitudinem auget. Huc insuper accedit, ut ditissimae Europae nationes, quarum Graecia quoque est pars, nullos nummos amplius credant, immo pecuniam temporibus praeteritis creditam omnimodis requirunt et populum in magiorem gravioremque coniciunt egestatem. Qui viri, ut par est, numquam sunt illa Sallustii verba secuti: “*Pulchrum est bene facere rei publicae [...]*”.³

Ad tantum ac tam tristem condicionem parum honesti rerum moderatores Graeciam totam, ingenti nummum vi sublata, detruderunt, rem publicam profligaverunt civitatesque funditus perdiderunt atque everterunt. In tanta ac tam tristi rerum condicione Demetrius, ira et indignatione correptus, est carmina meditatus, acerrimos scripsit versus, quibus animi dolorem laxaret angustiasque dmitteret.

Tristibus rerum civiumque condicionibus consideratis, immo suis ipsius oculis visis, Demetrius se abstinere non potuit, quin hos ardentis et concitatos scriberet versus:

*Fortissima imperia
orbis et civitates
iniuste tractant ceteros
homines et nationes.*⁴

Quos cum versus legerim, valde sum et miratus et indignatus. Ni Demetrius cognoscerem ipse, D. Iunium Iuvenalem Poetae Atheniensis fontem fuisse dicerem, qui antiqui satirarum scriptorem pede presso sequi videtur. Iuvenalis, enim hos sublimes scripsit versus:

*Si natura negat, facit indignatio versum
qualecumque potest, quales ego vel Cluvenus.*⁵

Demetrius, ut par est, innumeris de causis est indignatus et indignatione motus, ira immo accensus, acres scripsit versus. Sed hic doctissimum Poeta Atheniensem esse natura poetam eundemque carminibus cum antiquis vatis egregie contendere dicam oportet. Nam omnibus centuriis inspectis, nullus est doctus vir, qui Demetrius bonum ac probatum poetam esse neget.

Uterque poeta, Demetrius et Iuvenalis, iisdem fere causis est ad versus conscribendos necessitate coactus: uterque enim corruptos rerum

³ *Ib.*, 3.

⁴ KOUTR., *Q. C.*, 1, 1-4.

⁵ IUV., I, 79-80.

moderatores et inhonestos, damnat potentes, qui dummodo sibi divitias parent, humiles et pauperes conculcare et offendere non dubitant. Ceterum hominum generis indolem, quamvis esset semper acerbe damnata, semper eadem fuisse, innumeris malis visis et considerati, neminem fugit. Antiquis autem temporibus pauci tantum, cum plerique eorum essent rudes et indocti, de principum divitumque corruptione erant certiores facti, nostra aetate contra, cum eruditorum doctorumque civium numerus in dies maior fiat, omnes ulla sine difficultate eorum actus et divitias vel inspicere vel probare possunt. Quibus quidem de causis fit, ut duo poetae, quorum alter est vetustior recentior alter, eadem sentiant ac scribant.

Antiquus et clarus poeta Romanus, cum civium suorum vitia vituperaret, praeterire non potuit, quin indignatus haec quoque notet mala:

*hic tunc Vmbricius "quando artibus" inquit "honestis
nullus in urbe locus, nulla emolumenta laborum [...].⁶*

Ceterum malae artes, quibus homines parum integri, plerumque urbis populique faex ducti, rerum ullo sine pudore potiuntur, omnibus aetatibus quo gravius fuit rerum discrimen eo facilius viguerunt et animos tam imbecilliores quam rudiores adlexerunt. Ideo antiquus poeta, imperii dominorum vitia acriter vituperans, haud fortuito hos scripsit versus:

*iam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes
et linguam et mores et cum tibicine chordas
obliquas nec non gentilia tympana secum
uexit et ad circum iussas prostare puellas.⁷*

Roma vero, haud secus ac omnes orbis ditissimae ac potentissimae civitates, non virtutum domina, sed vitiorum omnium dimicilium fuit, in quibus avaritia habendique cupido animos imbecilliores facilius subegit.

Aliis et innumeris D. Iunii Iuvenalis locis amissis, ne sermo longius ducat, ad Demetri poesin reverti contingit ne tantum virum ipse curare videar. Cum autem *fortissima imperia orbis etcivitates* in primo huius centuriae memoret carmine, Poeta omnes homines hortatur, ut de illis continuo reputent malis, quibus potentiores ullo sine pudore pauperiores ita terrent, ut nullam temporis advenientis spem alant. Aetatis nostrae imperia praeter arma, quae in dies scientiae et vestigationis auxilio nocentiora fiunt, populos indigentes per nimia credita opprimunt et pedetemptim ad famem cogunt et ad mortem, quia, cibis carentibus, hoc unum est triste naturae remedium. Isti malefici rerum moderatores, cum sibi, necessariis suisque necessariis tantum provideant, arma quam civium felicitatem favere malunt, quia armorum commercium

⁶ *Id.*, III, 21-22.

⁷ *Ib.*, 62-65.1

eorumque confectio facit, ut ingens nummum vis vel in aerarium vel in moderatorum manus maxime confluat. Quo fit, ut populi, multis nummum milibus effluentibus, in dies pauperiores evadant. Ideo, ut Demetrius acriter vituperat, populi ditiores ideoque potentiores

*semper cum arrogantia
saepe cum vi armorum
pecuniaeque opprimunt
ceteras civitates,*

*quotidie inopia
aquae, alimentorum
morbisque, qui facillime
poterant consanesci,*

*praecipue invalidas
Africae Asiaeque
regionis, ubi hominum
milia moriuntur*

*si parva pars pecuniae
dabatur armaturae
imperatorum fortium [...].⁸*

Quid his maxime temporibus istis moderatoribus, istis novis imperatoribus Demetrius obiurget, neminem latere duco, quia tam cruda verba non in foliis chartaceis atramento sed igni atrocique stilo sunt in hominum cute exarata. Quantum sanguinis ex armorum commercio profluat, quantum calamitatis oriatur, quantum horroris in homines inermes ducat, omnes profecto noscunt.

Demetrius, ut omnes poetae vel antiqui vel recentiores, non in turre eburnea, non longinquis in locis, ubi nullum hominis vestigium invenitur, sed in hominum societate, vitam ducit. Cuius omnes necessitates vigilis experitur, omnes difficultates studiose sentit, omnia incommoda accurate notat. Quae omnia sive bona sive mala poetae animum aut maerore aut laetitia afficiunt, ad carmina condenda ducunt, ad ea, quae sentiat, detegenda et communicanda impellit. Verus poeta, ut par est, non ex libri tantum, sed e dura praesertim hominum vita materiam et argumentum depromit et, diutina meditatione ditatus, quid cor sentiat oculisque videant, idoneis exponit verbis. Sed poeta non sibi, sed hominum generi est poesin scribere ductus et coactus, quia Musae, cum pectus immortalibus ditet et moveat donis, rudis vulgi plebisque indoctae illum, nec immerito, magistrum praebent. Ideo Demetrius, divinis Musis oboediens, per idoneos versos et carmina arte modulata omnium aetatum homines virtute docet. Sed Graeci his diebus in gravissimis discriminibus versantur et gravia incommoda, necessariis deficientibus rebus, sunt tolerare coacti.

Atheniensis autem Poeta non hic tantum de his loquitur malis sed innumeris aliis huius centuriae in locis, ex quibus hunc tantum referre iuvat:

*Nationes et imperia
orbis terrarum magna,*

*Num sunt bombarum genera
similia, iniusta,*

⁸ KOUTR., *ib.*, 5-19.

*quae nationes opprimunt
parvas, infirmiores,*

*debere puto querere
nunc et investigare,
an sint bombarum genera
in mundo nostro duo; [...]*

*si ambo necant homines
inopinantes multos,*

*infantes et mulieres,
invalidos senesque?
Num ambo circum sanguinis
nutriunt augentque?⁹*

Quantam et qualem indignationem luctuosus ac tristis hic locus humanioribus lectoribus impertiat eosdemque ad sincerum animi motum ducat, quibus versibus lectis, omnes unanimi consentiunt. Sed humilis atque humana Demetrii vox, ut olim iisdem fere malis est Vergilius ipse contristatus et acerrimis verbis animi dolorem patefecit, quam similis poetae Manutano videtur, qui, cum arva paterna perdidisset, his est aptissimis verbis questus:

*[...] carmina tantum
nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt quila veniente columbas.¹⁰*

Vergilius, uti constat, bellorum civilium causa, una cum padre, qui tum senex erat et infirmus, multa est incommoda passus, quia veterani, Antonio et Octaviano iubentibus, erant Magianis ruribus donati. Ideo summus omnium poetarum Latinorum est domum avitam relinquere coactus. Pro ditiorum potentiorumque virorum commodis et utilitatibus, in quorum honores immania avaritiae et superbiae monumenta exiguntur, civium necessitates ne flocci quidem ducuntur.

Uterque locus, temporibus et occasionibus mutatis, tristes poetarum considerationes praebet; uterque insuper, cum omnium crudelissima sit expertus mala, candidos lectores hortatur, ut pacem et concordia, caritatem et misericordiam, pietatem et religionem, quae bona innumeros iam annos ex hominum societate ditiorum superbia eradicavit, lucris amissis, ut prisci Chjristiani, apostolis docentibus, colant.

Quo Demetrii loco lecto, callidum et vigilantem linguae Latinae cultorem hac quoque in centuria, ut in prioribus, nova Demetrium induxisse verba non fugit. Ceterum poeta, cum sit carmen conditurus, linguam ad illos animi motos patefaciendos ducit, ut novum atque idoneum inveniat et adhibeat verbum. Nam apud nullum linguae Latinae lexicon *bomba* invenimus, cuius enim loco *pyrobolus* tantum est notatus. Apud quosdam Mediae Aetatis auctores contra haud raro est bumbum adhibitum. Sed, ut Cicero scripsit, “*Stoicorum autem non ignoras quam sit subtile, vel spinosum potius,*

⁹ ID., Q.C., 8,1-8 e 21-28.

¹⁰ VERG., *Ecl.*, IX, 12-13.

disserendi genus, idque cum Graecis, tum magis nobis, quibus etiam uerba parienda sunt imponendaque noua rebus nouis nomina”,¹¹ Demetrius, tanti magistri vestigia secutus, necessitate premente, verbum, metri necessitate coactus, novat. Ceterum et Quintilianus, Ciceronis vestigia secutus, scriptores hortatur, ut magna cum prudentia nova adhibeant verba: “*multa alia etiam audentius inseri possunt, sed ita demum si non apparet adfectatio*”.¹²

Quos magistros secutus, Demetrius adhibere non dubitat *contemporanea* in libri titulo, *internationalis*,¹³ *visitor*,¹⁴ *cultura*¹⁵ pro *doctrina* vel *eruditio*. Digna quae memorenur haec sunt verba: *terrorismus*¹⁶ et *terrorista*,¹⁷ quibus Demetrius pessima huius aetis mala damnat. Innumera alia, quorum index longior esset, sum iustis de causis omittere coactus.

Quibus breviter notatis, ad alium Demetrii carmen mentem vertam oportet, ne poeta semper indignatus videatur aut iracundus:

*populus Germaniae
egregio labore
fecit et industria,
ut terra sua primum
locum in scientia
et litteris haberet
in Europa media
et in mundo toto.*

*Quamquam, infeliciter,
amentia culpaque
ducum terra perdidit
multa, tamen semper
labor et industria
populi triumphant.*¹⁸

Quamvis Demetrius compertum habeat quantum damni Germani inter alterum bellum pancosmium non solum Graecis verum aliis etiam Europae populis attulerint, se tamen abstinere non potest, quin eorum industriam et laborem magnis afficiat laudibus. Quod ad divitias pertinet ac potestatem, tam dives et strenuus Europae populus, omnibus belli damnis feliciter superatis, adhuc populorum principatum tenet. Mensae argentariae, cum ditissimae ac potentissimae sint, in Europae ratione et institutione maximum detinent imperium. Quibus tantum faventibus, pecunia ceteris populis, qui magna sunt in difficultate, suppeditari potest. Quod populis infirmioribus tam magno est detrimento, ut rerum domesticarum cura apud nonnullas nationes ab exitio quadam cum difficultate ad salutem revocetur.

¹¹ CIC., *Fin.*, III,1.

¹² QVINT., 1,5,70.

¹³ KOUTR., *Q.C.*, 1, 26.

¹⁴ ID., *cit.*, 3, 30.

¹⁵ ID., *cit.*, 73,12.

¹⁶ ID., *cit.*, 79.

¹⁷ *Ib.*

¹⁸ ID., *cit.*, 77.

Graecia autem, ut supra dixi, est tam gravi nummum discrimine affecta, ut populus in maxima versetur difficultate: nummis enim in mensis argentariis deficientibus, commercia minuuntur, cibaria deesse incipiunt, pecunia rarior in civium manibus in dies fit, ut Graeci perpaucos abhinc dies, populo rogato, ex Europa Unita egredi statuerint. Nihilo minus Demetrius Germanorum industriam laudat et laborem, quorum auxilio non solum in Europa, verum in toto etiam terrarum orbe, quamvis non sint quibusdam culpis vacui, principes ducantur. Per hoc autem carmen et populum Germanicum infelicem esse ducit:

<p><i>Germaniae infelix amisit locum primum virtutis et splendoris Europae et totius terrarum fere orbis, quem populus labore et mente occupavit, odio vicinorum amentiaque ducum, qui populi vigorem per vim formidulosam pessime tractaverunt.</i></p>	<p><i>Sed tamen e ruinis post duo atra bella constantia, labore in finibus angustis populus Germanorum miraculo perfecit, denuo locum primum Europae occupavit et tertium in mundo¹⁹</i></p>
--	---

Cur Germani, ut alii populi divitiis avidi, infelices sunt, quia, ut olim ait Plautus, *homo homini lupus*.²⁰ Tantum magistrum secutus, haec Demetrius merito scribit:

*Homo est semper homini
vicino lupus malus
sicut et omnis civitas
vicinae civitati.*²¹

Ceterum in alio libri loco, eadem mala damnans, haec magna cum animi aegritudine scribit, quia homo divitiis avidus ferox, atque insatiabilis fit lupus, quo nullum animal in sui similes est nec ferocius nec crudele. Quibus consideratis, nihil aliud poeta nisi haec scribere potest:

*homines fere omnes
hodie sint infidi,
inverba aliorum*

¹⁹ ID., *cit.*, 53.

²⁰ PLAUT., 495.

²¹ KOUTR., *Q.C.*, 10, 1-4.

*non credunt et promissa.*²²

Quid sentiat lector, quibus versibus consideratis, quo maerore sit animus contristatus, cum sciat homines, cum multa sint saecula peracta, minime pessimos mutavisse mores, neminem latere duco. Quamvis haec notet tristisque consideret mala, Demetrius tamen in illam deterrimam non agit homines doctrinam, quae mentes in peiorem rapiunt partem, quia, cum rectus sit et pius Christi assecla, homini credit, homini fidem habet.

Sed Demetrius, cum aequus et iustus et honestus sit vir, praeterire non potest, quin illa Graecorum quoque primorum ac moderatorum damnet merita et latrocinia, quae Graecos in magnam duxerint egestatem. Quae mala, etsi apud alias quoque nationes inveniuntur, omnium longe peiora et teterrima nostri saltem diebus apud Graecos sunt. Ideo illos homines, qui, cum curupti et habiles sint corruptores, res in pessima ducunt mala, memorare e damnare non dubitat:

*corruptio terribilis,
mala infinita,
implevit omnes hodie
terrarum orbis partes*

*homines plures, singulos,
personas, instituta,
societates hominum
omnesque civitates.*²³

Si vero Demetrii poesin ad haec tantum reducerem argumenta, nullam erga doctum virum esset reverentia, quia teneris mollibusque versibus amoris quoque gaudia canit canit et delicias. Amor enim maximus est donum habendum, quod rerum conditor hominibus donavit. Quo ex hominum vita sublato, e terra sol evertitur, quia nihil est homini nec dulcius nec gratius. Unus enim amor, qui tepidis radiis hominum corda citius vivificat et perpetuo alit igni.

Cum autem Demetrius de hoc miro agat argumento, iracundia seposita, ille est poeta, quem semel atque iterum de rebus Latinis agentem audivi. Miro quodam humanitatis munere captus, breviora scribit carmine, ut lector quas delicias, quae insuper dona celet Amor minimo temporis spatio comprehendat et degustet. Hic Demetrius, cum praecipuarum peritus sit humai cordis rerum, dulcis et humanus evadit poeta. Lector vero, miris captus voluptatibus, huius aetatis tristitiarum breve tantum per tempus oblitus, in alterum potioemque locum inscius pedetemptim ingreditur et quid spiritualis servet vita hac quoque in terra noscit et tam necopinatis delectatur bonis.

Ceteris omissis, hac tempestate, ne totum referam librum, hoc tantum referre iuvat:

²² In ID., *cit.*, 23, 1-4. Si, lector, quid Poeta de Graecia sentiat, noscere cupis, legas, quaeso carmen 28.

²³ ID., *cit.*, 11,1-8.

*tenues maus tuae
cum amplectantur corpus
et membra nostra stricte
in unum coniunguntur,
cum linguae et ora
mel gustant oculorum
et oculi clauduntur
in somnio amoris,
tum Vens et Cupido
ianuam paradisi
aperiunt benigne.²⁴*

Quibus in versibus, ut est supra relatam, ardens Demetri vivit animus, sinceri poetae cor. Tanto munere Musarum discipulus motus, illa patefacit dona, quae hominum genus uno eodemque tempore et ditant et felix et laetum faciunt. Utinam homines, cupidatibus relictis, caducis terrae bonis despectis, divinum illud Dei quaerant donum. Quod cum sint reapse adepti, homines sui similes diligant, iuvent eisque, amore sui seposito, ad vitam necessaria suppeditent. Quod, cupiditate imperante, minime evenit et homines in peiora ruunt mala.

Quod autem carmen legenti, illa in mentem veniunt momenta, in quibus mulier ac vir, dulci et molli coniuncti amore, mirificum illud inter communicant donum, cuius gratia corpus et animum alter alteri sincero et ardenti praebet animo. Si quis comprehendere velit, quid divinius illa momenta servent, in cubiculi sentio et tenebris experiatur oportet ipse, dum flebili spiritus fremitu alter alteram inundat. Quibus momentis frequentioribus factis, omnia illa mala, omnes bonorum divitiarumque cupiditates, omnem avaritiam ex hominum cordibus caelestis Dei Angelus, e paradiso missus, rapidis manibus evellat et in terram illam divinam ferat pacem ac tranquillitatem.

Quibus breviter prolatis, ad Demetri stilum mentem parumper vertere contingit, quia temporibus nostris, mea saltem sententia, nullus est poeta, qui simili modo quae hominum genus sentiat canet eundemque maximas doceat virtutes.

Cum autem Demetrius postremum hoc perfecisset opus idemque sedulus et sollers invulgu edidisset, novum conscribendi exemplum non solum linguae Latinae cultoribus, verum illis doctis etiam viris, qui antiquum Romanorum sermonem nostra adhuc aetate vel ad iuvenes erudiendos vel ad mores reficiendos atque emendandos alicuius momenti ducunt. Praeter praecepta, de

²⁴ KOUTR., *Q.C.*, 66. Quod ad alia carmina pertinet, in quibus de amore Demetrius agit, lectorem hortor, ut haec attento inspiciat animo: 4, 20, 36, 44, 51, 76, 78, 89.

quibus fusius egi, hic vero quibus modis, quibusque quidem numeris et rhythmis, cum carmina condant, sit Atheniensis Poeta utatur, brevi quoque dicam oportet. Quam ob rem simplex expositio videtur et undique precisa, ne Poetae modestiam eiusdemque doctrinam iniuria afficiam ac damno. Si vero quid parum videtur rectum atque idoneum, mihi Atheniensis Magister et Amicus ignoscat. Ceterum nisi eius carminum laborarem amore, tam magna profecto non afficerem admiratione vel poesin eiusque doctrinam vel maxime amicitiam.

Sed hic, amicitia parumper sublata, ad poesin eiusque modos mentem vertam oportet, quo parum linguae Latinae periti lectores maiore quadam cum facilitate Demetrii carmina legant et comprehendant. Qui, cum modos cum Catullianos tum Horatianos mirum noscat in modum eosdemque eadem adhibeat calliditate, tam insignes tamen et claros magistros sequi noluit: novam enim, ut ita dicam, et inusitatam est ingressus viam et, sicut antiquitus Callimachus docuit, ad postremum usque gradum pergere conatur. Qua quidem de causa Demetrius vel laude vel admiratione est quam qui maxime dignus. Sed modorum, quibus est tam callide, tam egregie, tam affabre usus, non est inventor, quia eosdem adhibet rhythmos, quos, syllabarum quantitate sublata, apud praeclaros illos Mediae Aetatis invenit auctores.

Quos autem cum susceperit modos, maximus omnium poetarum longe Demetrius evadit, quia nullus alius poeta, qui temporibus nostris linguam Latinam adhibent, illis numeris eadem cum facilitate utitur. Divino spiritu poetico motus ac vi, vel Thomae Aquinatis vel Iacobi Tudertis vel Francisci Asisiensis vel aliorum illius aetatis virorum comes videtur et contubernalis Demetrius.

Ceterum callidus ac doctus cum Graecae tum Latinae linguae cultor et peritus, quem praecipua animi mollitia ditavit natura, non nostris se illis vitam agere temporibus videtur, quibus innumeri viri, doctrina atque institutione praeclari, in unum conveniebant locum et magna cum subtilitate de antiquis agebant auctoribus. Nam Demetrius cum animum alere, mentem ditare, pectus roborare cupiat, nullam umquam praetermittit occasionem, quin clara auctorum cum Graecorum tum Latinorum opera legat, eorum sententias meditetur, novas aeternasque veritates noscat et incorruptos servet renovetque mores.

Quibus imperituri ditatus praedeprensus et moribus, Demetrius ulla sine difficultate versus condit, imperituras veritates docet, hominum vitia vituperet, hominum corda detegat, mentem explorat, animos dulcibus alliciat versibus, quia carminibus maiore vi animos ditat, labantes sublevat ac sustinet, lapsos in pristinam ducit dignitatem. Nam melle per apricos Atticae montes collecto, apium Hyblaearum more, quae omnes frequentant flores et, potissimo collecto dono, ad ceteras alendas domum repetit, ex antiquis et

recentioribus auctoribus Demetrius quod cuiusque praecipuum videtur colligit et veritatem et doctrinam sitientes alit et docet.

Ideo hanc quoque postremam Demetrii Centuriam linguae Latinae cultores legant et, novis ditatis praeceptis, eandem cum ceteris in potissimo bibliothecae loco ponant, ut aerumnarum ventis saevientibus et difficultatibus prementibus illud inveniant solacium animique gaudium, quae nullo alio in loco, quamvis sollicite quaerant, invenire possint.

Demetrius autem est quae voluit consecutus, quoniam primum puer tum iuvenis et apud praeclaram Universitatem Atheniensem professor illas semper quaesivit divitias animique satisfactiones est adeptus, quibus plerumque tantum antiqui sunt ornati viri. Ipse vero Amicum hortor et Poetam iubeo, ut nova carmina conficiant et quintam comparet centuriam. Qua confecta, non ipse solum sed totum etiam hominum genus Demetrio, cum Musarum sacerdos merito nuncupari potest, plurimas ac maximo aget gratias.

Horatius Antonius Bologna

